

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Exertationes philosophicae, ad varia phil. partium capita accomodatae -
Ettenheim-Münste 105

Cartier, Gallus

[S.l.], [18. Jahrh.]

Logica

[urn:nbn:de:bsz:31-110983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-110983)

159.
149.
159.
157.
1

Exercitationes Philosophicae
ad varia Logicae Capita accommodata.

Exercitatio prima.

Ad Broemii Logicae §. I. num. n. II. et seq.

De
Necessitate Logicae ad alias Scientias.

Conclusio. Logica ad alias Scientias est necessaria, non i-
quidem physice sed moraliter duntaxat.

Prob. 1^a Conclusionis pars. Logica s; artificialis scilicet,
de qua hic mihi nobis est sermo: tradit modum certum et
infallibilem discurrendi et ratiocinandi. Ergo est neces-
saria ad alias Scientias. Prob. cons. Nulla Scientia pro-
priae talis habetur nisi per rectum, certum et infallibilem
discurrere et ratiocinandi modum; et proinde non nisi ope
Disciplinae illius, qua modum illum tradit. Ergo p.

Prob. 2^a pars 1^o. Quod sola natura due obtineri potest, ad
illud Logica Artificialis physice non est necessaria. Atqui
caetera Scientia sola natura due obtineri possunt. Ergo ad
eas Logica Artificialis non est physice necessaria. Prob.
min. Sola natura due haberi possunt Demonstrationes
perfectae essentialiter, habentes certitudinem et evidentiam.
Ergo etiam ipsa Scientia, utpote qua per demonstrationem
acquiruntur. Prob. ant. Mens nostra naturaliter defi-
nit, dividit, demonstrat, p. Alioquin regulas bene definitio-
nis, Divisionis, Demonstrationis, p. nunquam tradidisset. Ergo.

Prob. 2^o. Eadem pars. Caetera Scientia non sunt ipsa Logi-
ca difficiliore. Atqui sola natura due Logica Artificialis
comparata fuit et etiamnum adhuc comparatur; cum non
datur Logica Logica. Ergo caetera quoque Scientia per
solum naturalem ingenii vim, qua naturalis Logica dici
potest, comparari possunt. Hinc est, quod pueri olim
Mathematicas Disciplinas docerentur, tametsi Logica arti-
ficialis proceptis non forent informati.

Prob. 3^a pars. Illa Disciplina ad reliquas Scientias mo-
raliter necessaria videtur, sine cuius adminiculo mens
humana in huiusmodi Scientiis inter ratiocinandum in
varios errores et lapsus impingit, nec nisi cum maxima
difficultate eos detegere valet. Atqui sine Logica Artifi-
cialis adminiculo mens humana inter ratiocinandum in cate-
ris Scientiis in varios errores et lapsus impingit, et non sine ma-
gna difficultate eos detegere potest; prout experientia constat.
Ergo p. vid. Broem. Log. loc. cit.

Solventur Objectiones.

Ob. 1^o contra 1^{am} partem Conclusionis. Logica naturalis suffi-
cit ut aliquis bene definiat, dividat, discurrat seu ratiocine-
tur, p. Ergo Artificialis videtur esse superflua.

Resp. Dist. ant. Logica naturalis sufficit, ut aliquis bene

Definiat, p. agra facile et perfecte ac unum Logicam artificialem, Neg. imperfecte, difficillime, et unum formidine oppositi seu erroris, p. ~~expressis~~ conc. ant. et neg. cons. Licet forte aliquis sola naturali Logica instructus recte discurrere, p. valeat, non tamen id potest tam facile, et sine erroris periculo absque Logica artificiali, qua prout ad facile et tuto discurrendum conduit, imo quodammodo necessaria videtur.

Inst. Natura est certior Arte. Ergo naturalis Logica sufficit, ac proinde inutilis est Artificialis.

Resp. Dist. ant. Natura est certior Arte, si Natura est necessario Determinata ad unum agendi modum, ut ignis ad comburendum, conc. Si Natura est indifferens ad plures agendi modos, neg. ant. et cons. Sicut intellectus seu mens humana indifferens est ad plures agendi modos, ad bene vel male operandum, p.

3. Ob. 2^o Contra 2^{am} et 3^{iam} Conclusionem partem. Logica dicitur jama Scientiarum. Ergo videtur esse simpliciter ad alias Scientias necessaria.

Resp. Dist. ant. Logica dicitur jama Scientiarum per quamdam hyperbolicam commendationem, conc. Vere ac proprie, Subdit. ut sine illa alia Scientia agra possint adiri, conc. omnino non possint adiri, neg. ant. et cons.

4. Ob. 3^o Ad Scientiam in statu perfecto habendam necessaria sunt bona Definitiones, p. Atqui sine Logica artificiali nemo potest habere bonas Definitiones, p. Ergo p. Prob. min. Nemo potest habere bonas Definitiones, quin cognoscat regulas bona Definitionis, p. Atqui sine Logica artificiali non cognoscuntur regulae bona Definitionis. Ergo p.

Resp. neg. min. Ad ejus Dist. min. Sine Logica artificiali non cognoscuntur regulae p. formaliter, seu per actualem reflexionem, et artificialiter, conc. aequivalenter per evidentiam et naturaliter, neg. min. et cons. Mens igitur naturaliter eas regulas novit, quandoquidem eas tradidit.

Inst. 1^o Nemo sine Logica artificiali potest penetrare bonitatem Definitionis. Ergo neque habere bonam Definitionem.

Resp. neg. ant. Nam per solam terminorum evidentiam atque sedulam attentionem connexio attributi seu predicati cum Subiecto cognosci potest, et prout bonitas Definitionis penetrari.

Inst. 2^o Sine Logica artificiali nemo novit genus et Differentiam. Ergo nequit penetrare bonitatem Definitionis, qua genere et Differentia continetur.

Resp. Dist. ant. Nemo novit genus et Differentiam, quatenus sunt genus et Differentia, seu formaliter sumuntur, conc. quatenus materialiter sumuntur, neg. ant. et cons. At sufficit absolute cognoscere genus et Differentiam materialiter sumta.

5. Ob. 4^o Ut quis habeat Scientiam perfectam, debet posse deprehendere errores in definiendo, dividendo, argumentando, p.

Atqui sine logica regulis artificialiter cognitis eos nemo deprehendere potest. Ergo p.

Resp. Dist. min. Sine logica regulis p. nemo eos deprehendere potest aequè facile ac si logica artificiali esset prae-dictus, concl. Nullo modo, neg. min. et cons. fatendum est illos, qui logica artificiali destituti sunt, magis cavere adjuvamento ad deprehendendos errores in definiendo, p. iis tamen absolute non est impossibile, modo attendere solent.

Inst. Nemo potest deprehendere fallacias pugnantes contra rectam formam logica, nisi noverit formam logica. Atqui sine logica artificiali nemo noverit formam logica. Ergo p.

Resp. Dist. maj. Nemo potest p. nisi noverit formam logica per naturalem intelligendi vim et in actu exercito, concl. per actualem reflexionem seu attentionem ad Leges et regulas Syllogismorum, neg. maj. et sic Dist. min. neg. cons.

6. Ob. 5.º Nemo perfecte scit se scire nisi sciat se scire. atqui non potest quis scire, quod sciat, nisi discursum suum examinet ad regulas logica. Ergo p.

Resp. neg. min. tunc enim quis perfecte scit se scire, si noverit connexionem extremorum cum mediis terminis; necnon conclusiones suas ad prima principia naturaliter cognita, s. g. Dictum de omni, et Dictum de nullo, p. deducere potest, si noverit se nullum admisisse principium nisi clarè distinctèque cognitum, p. qua omnia solius naturae humanae adminiculo fieri possunt.

Inst. 1.º Bonitatem consequentia seu connexionem unius cum alio nemo noverit, nisi attendat ad regulas logica. Ergo p.

Resp. neg. ant. Nam bonitas consequentia nihil aliud est, nisi illatio unius ex alio, quae statim apparet penetratis bene terminis et propositionibus.

Inst. 2.º Haec comexio non potest penetrari sine attentione ad diversam terminorum suppositionem. Ergo neque sine logica artificiali, quae hanc diversam terminorum suppositionem rite exponit et explicat.

Resp. Dist. ant. Haec comexio non potest penetrari reflexè, ut ajunt, concl. exercitè, neg. ant. et cons. Responsio patet ex dictis.

Exercitatio Secunda.

Ad Præfationem Log. §. 2. n. 17. et seq.

De Objecto Logica.

Logica objectum aliud est materiale, aliud formale, ex quibus deinde resultat objectum illius adequatum seu totale.

De Objecto materiali logica.

Circa objectum materiale logica varia circumferuntur Philosophorum opiniones. Quidam illud esse ajunt verbes, quibus res exprimentur; alii conceptus objectivos seu res omnes per actus mentis cognitatas; alii denique cogitationes seu operationes mentis formales objecta scilicet conspicientes et intelligentes. p.

8. Conclusio 1^a. Voces non sunt Objectum materiale Logica.

Prob. Voces nihil habent, circa quod Logica versetur, et quod ad eam pertineat. Ergo p. Prob. ant. Voces quoad entitatem suam consideratae, et quatenus sunt soni articulati non attenduntur a Logica, sed a Psychologia;

* Psychologia vox graeca dicitur la-
tina ac sermo seu doctrina de anima, cuius indicium et signum sunt voces seu signa articulata. carum inflexio pertinet ad grammaticam; ornatu ad Rhetoricam; et earum institutio significatio pendet ex institutione hominum. Ergo p. Adde, quod Logica sit propriabilis sine vocibus; homo quippe mutus perfectus Logicus esse potest. Ergo p.

8888
920

9. Conclusio 2^a. Conceptus objectivi seu res omnes per actus mentis cognita non sunt Objectum materiale Logica.

Prob. Idem non est Objectum materiale Logica, circa quod ipsa non versatur, seu in quod immediate non tendit. Atqui in conceptus objectivos seu res cognititas immediate Logica non tendit. Ergo p. Prob. min. Logica tendit in suum Objectum modo practico, scilicet dirigendo illud. Atqui immediate et modo practico non tendit in res, sed in actus mentis: non enim dirigit res ipsas sed actus, seu cogitationes mentis, quibus nempe formam et modum praescribit v.g. definiendi, p. Ergo p.

10. Conclusio 3^a. Cogitationes seu operationes mentis sunt Objectum materiale Logica.

Prob. Idem est Objectum materiale Logica, quod ab ea immediate et per se attingitur. Atqui cogitationes seu operationes mentis a Logica immediate et per se attinguntur. Ergo sunt eius Objectum materiale. Prob. ant. Regulae Logicae immediate spectant cogitationes seu operationes mentis, easque dirigunt, ne errent aut desipiantur. Ergo a Logica immediate attinguntur. Prob. ant. Cogitationes seu actus mentis, v.g. cognitio, procedens iuxta regulas vere et realiter continet in se aliquod artificium; quodquidem enim procedit iuxta directionem regularum habet specialem modum distinctum a quolibet naturali operatione. Ergo immediate a regulis spectatur et dirigitur.

Solvuntur Objectiones.

11. Ob. 1^a contra Conclusionem 1^{am}. Logica agit de vocibus. Ergo haec sunt illius Objectum materiale.

Resp. Dist. ant. Agit de vocibus per accidens, quatenus scilicet sunt signa cogitationum nostrarum, cone. hoc non pertinet ad grammaticam per se et propter ipsas voces, neg. ant. Hoc enim pertinet ad grammaticam. Igitur Logica agit de vocibus per accidens tantum, quia scilicet Logicae cogitationes seu conceptus suos alteri manifestare nequit nisi per voces; non enim Angelorum instar sola cogitatione et conceptu invicem loqui possunt.

Iust. 1^a Logica ex vocibus conficit Definitiones, p. Ergo voces sunt eius Objectum.

Resp. Dist. ant. Logica ex vocibus conficit Definitiones, p.

vi Grammatica, cuius est internus animi conceptus vocibus ad idoneis exprimere, concl. In sua institutione, neg. ant. Nam etiam mentales Definitiones habet Logica, et quidquid Logicus agit de vocibus, id non ut Logicus, sed ut Grammaticus agit.

Inst. 2^o. Logica en etymologia nominis est Disciplina sermoinalis. Atqui Disciplina sermoinalis intendit voces per se. Ergo p.

Resp. Dist. maj. Logica est Disciplina sermoinalis, id est, rationalis vel actuum rationis directiva, concl. Et Disciplina sermoinalis, id est, vocalis, neg. maj. et sic Dist. min. neg. cons. Logica ergo non dicitur sermoinalis à sermone externo, sicuti Rhetorica, sed ex eo, quod rationis actus seu mentis cogitationes dirigat.

Inst. 3^o. Logica est ars disputandi. Atqui disputatio consistit in vocibus. Ergo Logica intendit voces propter se.

Resp. Dist. min. Disputatio consistit in vocibus mentalibus, seu conceptibus internis, concl. in vocibus externis, Subdist. Secundo, ut subiectiis nostris conceptus aliis manifestemus, concl. primario et per se, neg. min. et cons. Consistit quippe disputatio in vera rationatione et actibus intellectibus, quibus rationes rationibus opponuntur, quod apud se et in mente fieri potest: voces igitur volummodo sunt conditio sine qua non paterent conceptus interni.

Ob. 2^o contra conclud. ^{Id est, totam} Facultas discurrendi, qualis 12. est Logica, habet pro Objecto materiali id, quod est materia discursum. Atqui res cognita seu conceptus Objectivi sunt materia discursum. Ergo sunt Objectum materiale Logica.

P. 222
421

Resp. neg. maj. Nam sicut Objectum immediatum Artis scribendi non est materia seu res, quae scribitur, sed boni et recti caracteres eam exprimentes; ita pariter Objectum Logica non est materia discursum seu res cognita, sed conceptus seu actus vel cogitationes, qui eas expriment.

Inst. 1^o. In Scientiis Objectum materiale et materia sunt quid idem. Atqui res cognita sunt materia Logica. Ergo et Objectum illius materiale.

Resp. Dist. maj. In Scientiis Objectum materiale et materia, circa quam Scientia aliqua versatur, sunt quid idem, concl. Materia ex qua Scientia aliqua, v. g. Logica, coalescit, neg. maj. et sic Dist. min. neg. cons.

Inst. 2^o. Atqui res cognita sunt materia, circa quam Logica versatur. Ergo multa solutio. Prob. Affumt. Logica instituta est propter res cognoscendas. Ergo p.

Resp. neg. ant. Ad Affumt. Dist. ant. Logica instituta est propter res cognoscendas remote tantum seu tanquam finem remotum, concl. tanquam finem proximum et consequenter tanquam suum Objectum | finis quippe proximus et Objectum coincidunt | neg. ant. et cons. Nam finis proximus Logica est directio cogitationum seu operationum mentis.

6
Inst. 3^o. Res omnes à logica expendantur ex instituto seu pro-
fesso. Ergo res cognoscenda sunt fidei proxima logica.
Resp. Dist. ant. Expendantur in gratiam cogitationum seu opera-
tionum mentis, concl. Propter se ipsas, neg. ant. et cons. Equidem
Logica tractat de rebus, v.g. Categoriis, in quibus res omnes continen-
tur, non precise propter res, ut cognoscantur, sed ut eorum perceptio
rite fiat, et consequenter mentis cogitationes seu operationes bene
et recte dirigantur.

Inst. 4^o. Illud per se expenditur à logica, in quod per se cadunt
prescripta logica. Atqui prescripta logica per se cadunt in res, v.g.
Definiendas, p. Ergo p. Prob. min. Regula logica, v.g. Definitio-
nis, p. per cadunt in id, quod definiri, p. potest. Atqui sola res
definiri, p. possunt. Ergo p.

Resp. neg. min. Ad ejus prob. neg. maj. Nam Regula logica pri-
marie cadunt in actum seu cogitationem mentis definiendis, p.
cui logica prescribit modum definitionis, p. conficienda.

Inst. 5^o. Regula Definitionis cadunt per se in Definitionem.
Ergo in res definiendas: haec enim sunt ipsa definitio.

Resp. Dist. ant. cadunt in Definitionem formalem seu actum
intellectus definiendis, concl. in Definitionem objectivam seu in
rem definiendam, neg. ant. et cons. Res enim definienda non sunt
ipsa definitio formalis sed objectiva dumtaxat seu materialis.

Inst. 6^o. Atqui regulae Logicae non conveniunt Definitioni
formali sed objectiva dumtaxat. Ergo p. Prob. ant. affirmati;
Una ex regulis logica circa Definitionem v.g. haec est: Defini-
tio debet constare genere et Differentia. Atqui haec non con-
venit Definitioni formali. Ergo p.

Resp. neg. ant. Ad ejus affirmati. Dist. min. Atqui haec non con-
venit Definitioni formali tanquam attributum, quod de ea pra-
dicetur, concl. Non convenit Definitioni formali tanquam re-
gula, per quam mens dirigitur, ut rem bene et per genus ac
Differentiam definiat, neg. min. et cons.

Inst. 7^o. Idem est Objectum Logicae quod et actum logi-
ca. Atqui res omnes sunt Objectum actuum Logicae. Ergo p.

Resp. Dist. maj. Idem est Objectum Logicae, quod et actu-
um dirigentium Logicae, concl. quod et actum directorem,
neg. maj. et sic Dist. min. neg. cons. Igitur cogitationes seu
operationes mentis sunt Objectum Logicae et actum diri-
gentium seu regularum Logicae; res autem omnes, cum
non sint Objectum nisi actuum directorem, v.g. Definitionis,
non possunt esse Objectum Logicae nisi valde remotum.

Inst. 8^o. Actio potentia non est ejus Objectum. Atqui opera-
tiones mentis sunt actus Logicae. Ergo p.

Resp. Dist. maj. Actio potentia directiva non est ejus Objectum,
concl. maj. hinc regulae Logicae tanquam actiones directivae non
sunt Objectum Logicae. Actio potentia dirigenda, ut sunt opera-
tiones mentis, neg. maj. et sic Dist. min. neg. cons.

2
422

De Objecto formali Logica.

Conclusio 1^a. Intentiones secundae Objectivae non sunt Objectum formale Logicae.

Prob. Intentiones secundae Objectivae, puta Genus, Species, Attributum, Subiectum, non tractantur in Logica per se et primario propter se, sed tantum propter cogitationes seu operationes mentis ad verum dirigendas, ut scilicet illarum artificiosa aptitudo melius intelligi, et ad verum reduci possit. Ergo non sunt Objectum formale Logicae, istud quippe ab aliqua facultate spectari debet primario propter se.

Deinde intentiones secundae Objectivae sunt tantum termini notionales, seu denominationes extrinsecae, quibus scilicet artificiosa cogitationum seu operationum mentis dispositio Declaratur; sunt in Rhetorica tropi et figurae non sunt nisi termini notionales, quibus forma et dispositio Orationis Declaratur. Ergo p.

Conclusio 2^a. Objectum formale Logicae sunt ipsa mentis cogitationes seu operationes, quatenus ad verum dirigenda, seu est ipsa earundem ad verum directio et rectitudo passiva.

Prob. Objectum formale alicujus Disciplinæ est modus seu ratio specialis, quæ in eundem Objecto materiali præcipue ac primario attingitur. Atqui in Objecto materiali Logicae passiva directio operationum seu cogitationum mentis ad verum præcipue ac primario attingitur; cuiusmodi ista est unicus finis regularum Logicæ, ut mentis cogitationes seu operationes recte sint verumque attingant; ut mens recte percipiat, iudicet, p. Ergo p.

Solventur Objectiones.

Ob. 1^o contra iam Conclus. Logica pro Objecto formali habet modos sciendi, scilicet, Definitionem, Divisionem, et Argumentationem, p. Atqui hi modi sunt intentiones secundae Objectivae. Ergo p.

Resp. Dist. maj. Logica p. habet modos sciendi formales, scilicet quatenus sunt mentis cogitationum seu operationum ad verum directio, conc. Modos sciendi Objectivos, neg. maj. et sic Dist. min. neg. cons. Solutio patet ex conclusione ejusque probatione.

Ob. 2^o contra Conclus. 2^a Jam Rectitudo Logica est esse Genus, Species, Attributum, p. Atqui hæc rectitudo non convenit operationibus mentis, sed consistit in secundis intentionibus Objectivis. Ergo Rectitudo operationum mentis non est Objectum formale Logicae.

Resp. Dist. maj. Rectitudo Logica est esse Genus p. representativa, conc. Intitativa, neg. maj. et sic Dist. min. neg. cons. Rectitudo, quam Logica primario intendit, non est nisi conformitas actuum directivorum seu cogitationum cum regulis, et proinde solummodo vult, ut intellectus bene apprehendat seu representet rem per modum generis, p.

Ob. 3^o Operationes mentis sunt necessaria; mens quippe est potentia necessaria. Ergo earum directio est frustranea, et proinde non est Objectum Logicae.

Resp. Dist. ant. Operationes mentis sunt necessaria, id est, ne-

13. Quid sint secundae intentiones Objectivae, vid. Log. p. i. c. 6. n. 101.

* Tropus est translatio vocis seu termini alicujus a propria significatio- ne ad alienam.

** Figurae apud Rhetores vocantur floruliquidam orationis a consueto loquendi usu recedentes; seu Figura est conformatio quadam orationis remota a consueti, et proximi 14. a offerente ratione.

3

capacitas fiunt, concl. id est, necessariò verè et benè fiunt, neg.
ant. et cons. Humana mens nonnunquam patitur sibi falsis
 Speciebus et imaginibus imponi, et debita attentionis defectu in errores
 procurrere; quare necessum fuit, quòdam regulas præscribere, quæ in
 suis operationibus, iuraretur ad certius assequendam veritatem, eam-
 que attingendam.

17. Ob. 4^o. Prima mentis cogitatio seu operatio, id est, idea seu appre-
 hensio re verà non potest dirigi ad verum. Ergo p. Prob. ant. Hæc
 prima mentis operatio ita semper vera est, ut nunquam possit esse
 falsa*. Atqui id, quod ita semper verum est, ut nunquam possit
 esse falsum, non potest dirigi ad verum. Ergo p.

* Log. p. i. c. 2. n. 43. et
 seq.

Resp. neg. ant. Ad eum prob. Dist. maj. Hæc prima mentis ope-
 ratio ita semper vera est, ut nunquam possit esse falsa in se ipsa et
 ratione sui ipsius, concl. ratione subsequentis iudicii falsi, ad quod
 occasionem præbere potest, neg. maj. et sic Dist. min. velq. cons.
 Sub hac ultimâ consideratione prima mentis operatio per regulas
 Logice dirigitur, ne scilicet falsè iudicii occasionem sit.

18. De Objecto adequato seu totali Logice.

Conclusio. Mentis cogitationes seu operationes quatenus ad ve-
 rum dirigenda sunt Objectum adequatum seu totale Logice.

Prob. Mentis cogitationes seu operationes in omnibus conditio-
 nibus respectu Logice sunt prædita, quæ ad rationem Objecti illius
 adequati seu totalis requiruntur. Ergo etiam sunt illius Objec-
 tum adequatum seu totale. Prob. ant. Ad rationem Objecti
 adequati Disciplina alius, hæc quatuor vultus, requiruntur
 conditiones. 1^a ut ex Objecto formali et materiali ejusdem
 Disciplina coalescat. 2^a ut sit aliquo modo unum. 3^a ut
 Disciplinam distinguat ab omni aliâ. 4^a denique, ut ad illud
 referantur omnia, quæ in eâ tractantur. Atqui mentis co-
 gitationes seu operationes respectu Logice hæc omnibus con-
 ditionibus prædita sunt. Ergo p. Prob. min. 1^o Illius Objec-
 tum materiale et formale expriment, ut ex duabus prioribus
 Conclusionibus patet. 2^o Constitunt unum Objectum, seu
 sunt quid unum; licet enim cogitationes seu operationes men-
 tis inter se diverse sint, habent tamen sufficientem unitatem
 ex eo, quod omnes et singule sint cogitationes seu operatio-
 nes mentis, et ad veritatem dirigi possunt. 3^a Logice dis-
 tinguntur ab omni aliâ Disciplina, in nullo præter Logicam
 de iis prout ad verum dirigendis agat, sed sub aliis respectu et
 consideratione; sic Metaphysica de iis tractat tanquam mo-
 dis aut affectionibus mentis. 4^o denique ad illas referuntur
 omnia, quæ in Logica tractantur; nam idè inventa est
 Logica, ut scilicet mentis cogitationes seu operationes ad
 verum dirigantur; hinc nihil præter ipsas, et nisi in earum
 gratiam Logica pertractat. Ergo cogitationes seu operatio-
 nes mentis, prout ad verum sunt dirigenda, sunt Objectum
 adequatum et totale Logice.

Solvuntur Objectiones.

19. Ob. 1^o. Logica dicitur habitus demonstrativus. Ergo pro Objec-

to adaequato et totali habet Solam Demonstrationem; proinde
neque Apprehensio neque Iudicium, p. de ipsis participant.

Resp. Dist. ant. Logica dicitur habitus demonstrativus ex eo,
quod faciat Demonstrationes, con. ex eo quod habeat pro Ob-
jecto Demonstrationem Subdist. partiali ac magis praecipuo,
con. adaequato et totali, neg. ant. et cons. Cum Demonstratio
Sive Rationatio Demonstrativa sit nobilior Apprehensione et
Iudicio Simplicii, dici potest Objectum principale Logicae magis
principale, non tamen adaequatum, nam Apprehensio et Iu-
dicium etiam rationem Objecti illius partialis teneant.

Inst. 1^o Apprehensio et Iudicium referuntur ad Demonstra-
tionem. Ergo sola Demonstratio est Objectum adaequatum
Logicae.

Resp. Dist. ant. Apprehensio et Iudicium referuntur ad
Demonstrationem per accidens, con. per se et ex natura sua,
neg. ant. Nam Apprehensio et Iudicium etiam extra Demons-
trationem sunt alienius utilitatis; utile quippe est clare
percipere, bene iudicare, definire, dividere, p. ne proinde ex
natura sua ad Demonstrationem ordinantur, sed per accidens
tantum.

Inst. 2^o Apprehensio et Iudicium sunt partes essentielles Demons-
trationis. Ergo ex natura sua ad eam ordinantur.

Resp. Dist. ant. Apprehensio et Iudicium sunt partes essen-
tiales Demonstrationis ex parte ipsius Demonstrationis, nam
sine illis ipsa conipi nequit, con. ex parte sui ipsorum, neg.
ant. Abstrahendo quippe a Demonstratione suum possunt ha-
bere effectum, v. g. manifestationem veritatis.

Inst. 3^o Objectum Logicae est Modus Sciendi perfecte faciens Sci-
re. Atque Apprehensio et Iudicium sine Demonstratione non
faciunt Scire. Ergo p.

Resp. Dist. min. Atque Apprehensio, p. non faciunt Scire Sien-
tia Strictè Sumta pro cognitione certâ per causas, con. Sien-
tia Latè Sumta pro cognitione praecise certâ, neg. min. et
cons. Sola quidem Demonstratio parit Scientiam Strictè
Sumtam; et hinc etiam a Logica consideratur tanquam
ipsius Objectum principale praecipuum, quod vulgò Objectum
principalitatis nuncupatur; Apprehensio tamen et Iudici-
um non minus faciunt Scire, in hō sicut genere.

Ob. 2^o Id est Objectum Logicae adaequatum, quo obtento 20.
ipsa quiescit. Atque obtento artificioso demonstrativo dis-
cursum Logica quiescit. Ergo p.

Resp. Dist. min. Atque obtento p. Logica quiescit tanquam
in fine perfectissimo, con. Tanquam in fine adaequato et
totali, neg. min. et cons. Licet Logica obtenta per Demons-
trationem notitia nihil ultra per se principaliter cognos-
cere exigat, auget tamen per se minus principaliter; imò si
tunc ulterius non procedat, id ex eo provenit, quod iam suppona-
tur comparasse cognitionem per Apprehensionem et Iudicium p.
quippe quae per accidens ordinantur ad Discursum.

* Quid sit Scientia, vid.
proem. Log. loc. cit. 21.

5
425

Exercitatio tertia.

Ad proem. Log. §. 3. n. 21. et seq.

An logica sit Scientia, An practica, an spe-
culativa. An sit etiam Ars.

- Conclusio 1^a Logica est Scientia proprie dicta. Prob.
Disciplina, qua circa objectum suum multas efficit Demonstra-
tiones est Scientia. Atqui talis est Logica. Ergo est Scien-
tia. Prob. min. Logica demonstrat Apprehensionem sim-
plicem per se falsam esse non posse; quia nihil affirmat aut
negat: Definitionem constare Genere et Differentia; quia
rei naturam, qua Genere et Differentia continetur, expri-
mit; ipsam debere esse clariorem re definita; quia id,
quid res sit, explicat. p. Ergo Logica circa suum objectum
multas efficit Demonstrationes; proinde etiam est Scien-
tia. vid. cit. §. 3. n. 22.
22. Conclusio 2^a Logica est Scientia practica. Prob.
Illa Scientia est practica, qua per se tendit ad opus, nec in sui
objecti contemplatione quiescit. Atqui Logica est hujus-
modi. Ergo est practica. Prob. min. Logica leges et regu-
las Definitionis, Divisionis, p. non tradit, ut in eis sitat, sed
eo potissimum tendit, ut ipsa in usum deducantur; neque
vulga est logica pars, qua operationes mentis per certas regulas ad
veritatem non dirigat. Ergo p. vid. §. cit. n. 24.
23. Conclusio 3^a Logica est etiam Ars. Prob. Ars est ha-
bitus cum vera ratione effectivus, id est, cognitio practica
aliquid per certas rationes aut regulas efficiendi. Atqui
Logica est talis; efficit enim Definitiones, Divisiones, et
Demonstrationes, ut nemo dispitetur, idque per certas ratio-
nes aut regulas. Ergo Logica etiam Ars dici potest. Vid.
cit. §. 3. n. 27.

Solvuntur Objectiones.

24. Ob. 1^o contra Conclus. 1^a Omnis Scientia versatur circa
Objectum necessarium. Atqui Objectum logicae non est necessa-
rium. Ergo Logica non est necessaria. Prob. min. Logica ver-
satur circa operationes mentis tanquam circa suum Objectum.
Atqui haec non sunt necessaria sed contingentes. Ergo p.
- Resp. Dist. maj. Omnis Scientia versatur circa Objectum neces-
sarium quoad essentiam seu quoad essentialia predicata seu at-
tributa, con. quoad existentiam, neg. maj. p. Vid. cit. §. 3. n. 23.
- Just. 1^o Regulae bonae Definitionis, Ratiocinationis, p. libere ab
hominibus inventae sunt. Ergo quod definitio v. g. Argumenta-
tio, p. bona sit, id habet ab ipsa libera hominum inventionem,
et proinde Regulae hujusmodi necessariae non sunt quoad essen-
tiam, consequenter nec illa, quorum sunt Regulae.
- Resp. Dist. ant. Regulae p. inventae sunt inventionem improprie
dicata, id est, declaratae sunt et expositae, con. inventionem
proprie tali, neg. ant. et cons. Quinimo Regulae v. g. bonae De-
finitionis fundantur in principis lumine naturae notis, et ab
ipsa natura proveniunt: hinc definitio ex sua natura sci-

git, ut sit clarior suo definitio, nec a nobis pendet, ut talis sit non sit. Non sic res se habet quantum ad regulas quarundam aliarum disciplinarum, v.g. Grammaticae; nam quod verbum activum v.g. regat accusativum, id ad verbi activi essentiam aut naturam non pertinet, sed penes hominum arbitrium est, ac aliter esse posset.

Inst. 2^o. Illud, quod pendet a nobis libere operantibus per praecpta, non est necessarium necessitate essentia. Atqui Objectum Logica pendet a nobis libere operantibus per praecpta; operationes quippe mentis per certas regulas diriguntur, p. Ergo p.

Resp. Dist. maj. Illud, quod pendet a nobis p. quoad essentiam non est necessarium p. conc. Inoad confectioem et existentiam, neg. maj. et sic dist. min. neg. cons. Praecpta non spectant essentiam Objecti, v.g. Ratiocinationis, sed eam supponunt; non enim dantur ut Ratiocinatio sit illata unius ex alio, sed ut actu unum bene ex alio inferatur.

Inst. 3^o. Frustra dantur praecpta de rebus necessariis. Ergo p.

Resp. Dist. ant. frustra dantur praecpta de rebus necessariis, quatenus sunt necessaria, conc. quatenus sunt contingentes, neg. ant. et cons. Praecpta logica, ut mox dicimus, non naturam v.g. Ratiocinationis, qua necessaria est, spectant, sed solummodo eius existentiam et confectioem, qua contingens est.

6
426

Inst. 4^o. Operationes mentis dicuntur bene vel male fieri posse. Ergo earum natura non est necessaria sed contingens.

Resp. Dist. ant. Operationes mentis dicuntur bene vel male fieri posse, ita ut tunc non sint tales, quales nominantur, conc. levis, neg. ant. et cons. Definitio enim v.g. qua non est clarior re definita, non est vera definitio, sed tantum apprensus.

Inst. 5^o. Objectum Scientiae debet esse necessarium quoad existentiam. Ergo p. Prob. ant. Major necessitas requiritur in Objecto Scientiae, quam in Objecto Artis. Atqui Objectum Artis est necessarium necessitate essentia. Ergo Objectum Scientiae debet esse necessarium necessitate existentia.

Resp. neg. ant. Ad ejus prob. Dist. maj. Major necessitas requiritur in Objecto Scientiae, quam in Objecto Artis aliujus, conc. Artis cujuslibet, neg. maj. et sic Dist. min. neg. cons. Dantur enim Artes, quae etiam simul sunt Scientiae; quia aliquas quoque faciunt demonstrationes, ut Geometria, p.

Inst. 6^o. Haec Artes non discrepabunt a Scientiis. Ergo p.

Resp. Dist. illat. Non discrepabunt a Scientiis secundum suam partem huius partem spectata, conc. secundum inferiorem sui partem considerata, neg. illat. Duo in Arte spectari possunt, nempe pars superior, qua est cognitio rei per regulas quaedam certas et immutabiles, atque a Scientia non discrepat; et pars inferior, qua est executio et effectus artefacti, haec vero a Scientia distinguitur.

Inst. 7^o. Objectum cujuslibet Artis, quae etiam nullas facit demonstrationes, sibi essentialia vindicat attributa. Ergo illud necessarium est etiam necessitate essentia.

Resp. Dist. ant. Objectum cujuslibet Artis p. essentialia sibi vindicat attributa ex principiis extrinsecis ac libera hominum inventionem, conc. Ex principiis intrinsecis et ex natura rei, qua provin-

- de nullo modo se aliter habere possunt, neg. ant. et cons. Objectum igitur
 Artis, Sutoria v.g. calcens non habet ex natura, ut pedem tegat, sed ab
 hominum institutione, cui suam debet essentiam; Suis vero Objectum
 Scientia sua predicata essentialia sibi vindicat ex natura rei et con-
 nexione cum aliquibus naturaliter notis, abstrahendo ab omni inven-
 tione.
25. Ob. 2^o. Modus seu instrumentum sciendi non est Scientia. Atqui
 Logica est modus et instrumentum sciendi. Ergo non est Scientia.
 Resp. Dist. maj. Modus sciendi obiectivus, id est, ipsa regula non
 sunt Scientia, con. Modus sciendi directivus et formalis, id est, cog-
 nitio certa et evidens regularum non est Scientia, neg. maj. et sic Dist.
min. neg. cons.
- Inst. Instrumentum et modus sciendi non est ejusdem rationis
 cum eo, cujus est instrumentum. Ergo Logica, quae est instrumen-
 tum dumtaxat et modus sciendi, non est Scientia.
- Resp. neg. ant. Nam malleus ex gr. licet sit instrumentum ad
 alterum malleum, in se tamen est malleus; ita etiam Logica,
 licet sit instrumentum ad alias Scientias, in se tamen est Scientia.
26. Ob. 3^o. Omnis Scientia acquiritur per discursum. Atqui Logica
 non habetur per discursum. Ergo non est Scientia. Prob. min.
 Logica docet ac dirigit discursum. Ergo non habetur per discursum.
 Resp. neg. min. ad ejus prob. Dist. ant. Logica docet discursum
 artificialem, con. naturalem, neg. ant. et pariter Dist. cons.
con. Logica primitus acquisita fuit per discursum naturalem, vi-
cujus deinde exposita sunt quaedam regulae infallibiles, secundum
 quas formari possunt discursum artificiales.
- Inst. Scientia artificialis debet habere causas artificiales.
 Ergo p.
- Resp. Dist. ant. Scientia artificialis debet habere causas arti-
 ficiales virtualiter, con. formaliter, neg. ant. et cons. Logi-
 ca naturalis virtualiter continet discursum artificialem, quia
 per eam inventus est.
27. Ob. 4^o. Scientia est de universalibus. Atqui Logica non agit
 de universalibus sed singularibus, scilicet de mentis opera-
 tionibus; Ergo non est Scientia.
 Resp. Dist. maj. Scientia est seu agit de universalibus in
 praecipiendo, quatenus dirigit per regulas universales, con. in
 exequendo, neg. maj. et sic Dist. min. neg. cons. Nam Logica pra-
 dicit quidem operationes singulares, eas tamen dirigit per regu-
 las universales.
28. Ob. 5^o. Logica agit de fallacis. Ergo non est Scientia.
 Resp. Dist. ant. Logica agit de fallacis ut fugiendis, con. ut
 approbandis, neg. ant. et cons.
- Inst. Cognitiones, quae versantur circa Syllogismos probabi-
 les tantum aut falsos, non sunt Scientia. Atqui multae co-
 gnitiones in logica versantur circa Syllogismos probabiles tan-
 tum. Ergo p.
- Resp. Dist. maj. Cognitiones, quae versantur circa Syllogismos
 probabiles tantum aut falsos, non sunt Scientia quoad materi-

am, in qua sunt, conc. quoad formam et vim inferendi, neg. maj. et sic Dist. min. neg. cons. Logica dum versatur circa Syllogismos probabiles, demonstrative docet eorum conclusionem non posse esse nisi probabilem.

Ob. 6^o contra Concl. 2^{am} finis logica est veritas. atqui cognitio, cuius finis est veritas, speculativa est. Ergo logica est speculativa et non practica.

Resp. Dist. maj. finis logica est veritas physica seu conformitas actus cum objecto, neg. maj. est veritas logica, qua est conformitas actus cum regulis, Subdit. tantum consideranda, neg. maj. in operationem introducenda, conc. maj. et sic Dist. min. neg. cons.

Inst. Logica confectam v.g. Definitionem contemplatur, atque in eius contemplatione quiescit. Ergo p.

Resp. Dist. ant. Logica confectam Definitionem contemplatur se se reflectendo et examinando, an sit regulis conformis, velut emendetur, velut intellectus experientia sua confirmetur, vel ut ad eius normam alias efficiat, qua cognitio, ut per se patet, est maxime practica, conc. contemplatur nuda, neg. ant. et cons.

Ob. 7^o Logica versatur circa operationes mentis, quatenus sunt Definitiones, Divisiones, p. atqui sub hoc respectu sunt Speculationes. Ergo p.

Resp. Dist. maj. Logica versatur circa operationes mentis, quatenus sunt Definitiones, p. per logica precepta operabiles, conc. quatenus precise sunt Definitiones objectorum, neg. maj. et sic Dist. min. neg. cons. Logica Definitionem v.g. hominis non spectat precise quatenus naturam hominis representat, sed quatenus per regulas logica dirigi potest, ut recte naturam hominis explicet.

Inst. 1^o Definitiones etiam quatenus fiunt à logica sunt verae Speculationes respectu logica. Ergo p. Prob. ant. Definitiones Geometrica v.g. quatenus fiunt à Geometria sunt verae Speculationes respectu Geometria. Ergo à pari Definitiones Logicae p.

Resp. neg. ant. Ad eius prob. neg. cons. et part. Disparitas est, quia Definitiones Geometrica non sunt Objectum Geometrica; at vero Definitiones logica fiunt à logica tanquam proprium Objectum; Scientia autem illa dicitur practica, quia circa suum Objectum operatur.

Inst. 2^o Logica considerat Definitionem in genere, nec quidquam circa eam operatur. Ergo p.

Resp. Dist. 2^{um} memb. ant. nec quidquam circa eam operatur per se et proximè, conc. per ipsius singularia, neg. ant. Per hanc enim et illam Definitionem producit definitio generativam.

Inst. 3^o Actus mentis sunt pure Speculationes. Ergo logica, qua eos pro Objecto habet, etiam est Speculativa.

B
428

Resp. Dist. ant. Actus mentis, quatenus eliciuntur ab intellectu et tendunt ad veritatis cognitionem sunt pura Speculationes, concl. quatenus certis regulis diriguntur, neg. ant. et cons. Logica mentis actus non spectat quatenus elicitos ab intellectu, sed quatenus dirigi possunt per regulas.

Inst. 4^o. Ea solummodo facultas circa actus operatur, cuius ipsi actus sunt essentialiter actus. Atqui operationes mentis sunt actus intellectus. Ergo solus actus circa eas operatur et non logica ipsa.

Resp. Dist. maj. Ea solummodo facultas circa actus operatur physice et elicitivè, cuius ipsi actus sunt essentialiter actus, concl. moraliter et directivè, neg. maj. p. Operationes mentis eliciuntur ab intellectu, et artificialiter diriguntur à logica.

Inst. 5^o. Actus sempiterna veritatis non indigent dirigi à logica. Atqui operationes mentis sunt actus sempiterna veritatis. Ergo non indigent dirigi à logica.

Resp. Dist. min. Atqui operationes mentis sunt sempiterna veritatis, si spectentur in se ipsis suaque veritate objectiva, concl. si spectentur per ordinem ad intellectum, neg. min. et cons. Nam possunt bene vel male fieri, esse vera vel falsa; Logica autem instituta est, ut intellectus dirigatur in illis, ut par est, conficiendo.

Dis.
31. Ob. 8^o contra Concl. 3^{iam} Omnis Ars versatur circa opus sensibile. Atqui logica non versatur circa opus aliquod sensibile. Ergo non est Ars.

Resp. Dist. maj. Omnis Ars sensilis et mechanica versatur circa opus sensibile, concl. Ars liberalis, neg. maj. et concl. min. neg. concl. Artes liberales, ut Rhetorica, Musica, p. non operantur in materia externâ, nec opus aliquod sensibile post se relinquunt, sed conficiunt artefacta, quae una operatione transeunt.

32. Ob. 9^o Idem habitus Scientia et Ars simul esse non potest. Atqui logica est Scientia. Ergo Ars simul dici non potest.

Resp. Dist. maj. Idem habitus Scientia et Ars simul esse non potest sub eo respectu, sub quo est Scientia, concl. sub alio respectu neg. maj. et sic dist. min. neg. cons. Logica igitur est Scientia, quatenus aliquid circa suum Objectum demonstrat; Ars vero, quatenus ejusdem Objecti productionem aut affectionem dirigit. vid. at. p. 3.

n. 29.
33. Ob. 10^o Jidem logica utitur principiis, quibus utuntur Scientia Speculativa, quale est illud artificii Syllogistici fundamentum: Quaecumque sunt eadem uni testis sunt eadem inter se. Modò Speculativo etiam procedit: artificiosa enim dispositio illa Syllogismi extra intellectum non prorumpit, sed in sola cognitione sistit: actiones vero intellectus ad praxin non pertinent, sed omnes Scientiae essent practicae. Ergo logica non est practica, neque ideo Ars dici potest.

Resp. neg. cons. Quaedam enim principia possunt esse logica et Scientiis Speculativis communia, sed non ideo logica inter Scientias Speculativas est numeranda. Sic Geometria practica is-

dem utitur principiis, quibus Geometria Speculativa. Quando autem obicitur, modum procedendi Logica esse Speculativum, et actiones mentis non esse practicas, distinguendum est; Actiones, ut aliiuntur ab intellectu, et tendunt ad veritatis cognitionem, non sunt practicae, concl. Ut certis praecipitis et regulis formantur, non sunt practicae, neg. p.

Exercitatio quarta.

Ad S. 4. Proem. Log. n. 31. et seq.

An Logica Docens et Utens sint unus et idem realiter Habitus.

Prima Aaaa

429

Conclusio. Logica Docens et Utens sunt unus et idem realiter Habitus. 34.

Prob. Idae facultates sunt unus et idem realiter habitus, quarum unum idemque est Objectum formale; habitus enim specificantur a suis Objectis formalibus. Atqui Logica Docens et Utens unum et idem est Objectum formale, directio licet mentis operationum ad verum per regulas et praecipita. Ergo Logica Docens et Utens sunt unus et idem realiter habitus, licet diversa exerceant munia.

Solvuntur Objectiones.

Ob. 1^o. Logica Utens proprie non est Logica, sed qualibet alia Disciplina, qua praecipitis Logica utitur, v.g. Physica, Metaphysica, p. Ergo realiter a Logica Docente distinguitur. 35.

Resp. Dist. ant. Si Logica Utens latiori significatione usurpetur pro aliis Disciplinis, qua ipsius praecipitis utuntur, tum non proprie ipsa Logica, de qua hic nobis est sermo, concl. Nam Logica sic sumpta complectitur omnes Disciplinas, qua penes diversa Objecta seu variam materiam uniuersique illarum Subjectam inter se se differunt, qua ratione multatenus tamen Logica Utens, sed Disciplina Logica utentes dici dumtaxat possunt. Si Logica Utens auipiat pro ea facultate, qua Docentis regulas ad unum applicat, neg. ant. et cons. In eo, quod aliae Scientiae Logica utantur, dici Logica Utens proprie non possunt; quia artificialis dispositio materiae, quam aliis Scientiis Logica subministrat, semper ad Logicam et non ad aliam Scientiam pertinet.

Ob. 2^o. Logica dividitur a nobis in Docentem et Utentem. Ergo in habitus realiter distinctos. Prob. cons. Omnis divisio debet fieri in membra opposita: atqui membra opposita realiter inter se distinguuntur. Ergo p. 36.

Resp. Dist. ant. Logica dividitur a nobis in Docentem et Utentem divisione late sumta et secundum nostrum concipiendi modum dumtaxat, concl. Dividitur divisione proprie dicta, neg. ant. et cons. ad ejs prob. Dist. ant. Omnis divisio debet fieri in membra vel realiter vel formaliter seu virtualiter dumtaxat opposita, concl. in membra semper realiter opposita, neg. maj. min. et cons. Igitur Logica dividitur in Docentem et Utentem non quasi essent habitus realiter distincti, sed praecipis, quia idem habitus diversa munia obit, et consequenter non secundum essentias sed secundum munera fit divisio.

Inst. 1^o In omni facultate que in Utentem et Doctorem, seu praxim et theoriam dividitur, divisio fit in habitus realiter distinctos. Ergo etiam de Logica Utente et Doctore idem dicendum.

Resp. Dist. ant. In omni facultate, ubi respectu praxis nova difficultas est superanda, vel ubi praxis et theoria ad diversas facultates pertinent, ut fit v.g. in Geometria, concl. Sicut neg. ant. In Logica autem idem intellectus eadem facilitate regulas tradit ac eas applicat.

Inst. 2^o Experientia constat aliquibus loqui notasse Logica regulas et precepta, cum nihilominus gravem patiantur in earum applicatione difficultatem, immo loquens eis male utantur. Ergo Logica non eadem facilitate regulas applicat, qua eas tradit.

Resp. Dist. ant. Tales gravem patiantur difficultatem p. qua provenit ex defectu materiae, in qua sufficienter versati non sunt, concl. Ex carentia Logica Utentis, neg. ant. Igitur loquens licet collat perfectas regulas Logicae, tamen maximam difficultatem sentiet in discurrando v.g. de rebus physicis, immo loquens hallucinabitur, non quidem ex defectu habitus applicandi regulas Logicae, sed quia materiam nondum intelligit, qua proinde difficultas non a Logica sed a Physica est superanda.

Inst. 3^o Qui novit regulas Grammaticae ac praxim habet materiam, tamen adhuc difficultatem patitur in congrue loquendo. Ergo a pari p.

Resp. Dist. ant. Qui novit p. memoriter solum adhuc difficultatem patitur p. concl. Qui novit scientificè, et earum vim penetrat, neg. ant. et cons.

37. Ob. 3^o Ubi actus sunt diversi, ibi etiam habitus sunt distincti. Atque actus Logicae Doctore sunt diversi ab actibus Logicae Utentis, Ergo etiam habitus.

Resp. Dist. maj. ubi p. nisi actus sint sibi invicem subordinati tanquam primarius et secundarius, et nisi procedant secundum eadem principia et regulas, et denique nisi sub eadem ratione formali respiciantur, concl. Sicut neg. maj. Actus Logicae Doctore et Utentis sunt sibi invicem subordinati tanquam primarius et secundarius, ita, ut actus primarius sit traditio regularum, et secundarius earundem applicatio; procedunt secundum eadem principia et regulas, utraque enim iisdem regulis mentis cogitationes ad verum dirigit; denique respiciuntur sub eadem ratione formali objecti, in quod tendunt, directionis scilicet mentis cogitationum seu operationum p. Ergo actus Logicae Doctore et Utentis sunt ab eodem habitu, sicut actus intellectus et voluntatis ab eadem anima, et sicut amor Dei et proximi ab eadem charitate procedunt.

Inst. 1^o habitus perficiuntur a suis actibus frequentatis. Atque habitus Logicae Utentis non perficitur per actus Logicae Doctore, Ergo signum est, quod ad alium habitum pertineat.

Resp. neg. min. Nam cum utriusque Logica sit eadem entitas, qui major habetur facilitas tradendi regulas, eo major etiam erit facilitas eas in usum deducendi, et proinde habitus Logicae Utentis perficitur per actus Logicae Doctore.

Inst. 2^o habitus Logicae Doctore non perficitur per actus Logicae Utentis. Ergo neque habitus Logicae Utentis perficitur per

peractus Logica Docentis.

Resp. neg. cons. et parit. Disparitas est, quia non quilibet actus generat habitum, sed actus primarii tantum, quales sunt actus Logica Docentis, non Utentis: Deinde actus Logica Utentis supponunt jam comparatam Logicam Docentem, cui subordinantur, adeoque ad eius habitum perficiendum non possunt inseruire.

Ob. 4^o Logica Docens et Utens possunt ab invicem separari. br. 38.
ergo non sunt unus et idem habitus. Prob. ant. Multi viri docti dimittunt egregie et artificialiter, nec tamen amplius sciunt regulas Logica. Ergo Logica Docens et Utens separari possunt.

Resp. neg. ant. Ad eius prob. Dist. ant. Multi viri docti p. nec tamen sciunt regulas Logica in actu exercito, neg. ant. et cons. huiusmodi viri docti regulorum Logica actu et reflexa fortiter non recordantur, eas tamen adhuc habitualiter vel exercite in mente retinent et usurpant.

Ob. 5^o Logica Docens rationem habet Scientia, Utens vero 39.
rationem Artis tantum. Atque Scientia et Ars sunt duo habitus distincti. Ergo etiam Logica Docens et Utens.

Resp. Dist. Secundum membrum maj. Logica Utens habet rationem Artis reduplicative sumta, seu quatenus utitur regulis, con. Specificative sumta, id est, qua utitur regulis, neg. maj. p. Nam cum sic sit Logica Docenti identificata, etiam nomen Scientia habet. Sensus ergo iste est, Logica quatenus docet est Scientia, et quatenus regulas applicat est Ars, qua utique unice demumque habitui convenire possunt secundum diversa munia qua exercet. Sicut eadem anima seu mens est libera quatenus vult, et non libera quatenus intelligit, licet voluntas et intellectus non distinguantur sive ab ea sive inter se.

Iust. Ars et Scientia essentialiter inter se differunt.

Ergo uni et eidem habitui non possunt convenire.

Resp. Dist. cons. Uni et eidem habitui non possunt convenire sub eodem respectu et numero, con. sub diverso, neg. cons. Responso patet ex dictis; Logica quippe duplici numero fungitur, regulas scilicet tradit, ac eas applicat; quatenus eas tradit, rationem habet Scientia, quatenus eis utitur, nomen Artis participat.

Ob. 6^o Logica Docens et Utens habet diversas definitiones, ut 40.
patet ex supra dictis, ergo sunt diversi habitus.

Resp. Dist. ant. Logica Docens et Utens habent diversas definitiones partiales et inadaequatas, con. Totales et adaequatas neg. ant. Soepe enim fit, ut una eademque entitas habens duplex nomen duplici inadaequata definitione exponatur, quarum qualibet explicat unum nomen: Logica igitur est unus ac idem habitus, licet duo diversa exercet munera, propter quae ab intellectu aliter et aliter, modo secundum hoc, mo-

do secundum illud minus potest concipi ac defini.

41. Ob. 8^o. In omni arte aliud est rectè præcipere, aliud exequi. Atqui Logica Docens præcipit tantum et dirigit; Utens verò exequitur. Ergo Logica Docens et Utens sunt Habitus distincti.

Resp. Dist. maj. In omni arte p. cum præcipere et exequi pertinent ad diversas facultates, concl. cum unus et eundem sunt facultatis, neg. maj. Hic Logica Docens et Utens supponuntur esse eundem facultatis, p.

Exercitatio quinta.
ad cap. 3. prima partis logicae n. 53. et seq.

Quotuplex sit Idea universalis.

42. Conclusio. Idea universalis est quintuplicis generis.

Prob. Idea universalis est ea, quæ quamvis in se singularis sit, multa tamen simul et semel nobis exhibet singularia quibus convenit. Atqui talis Idea est quintuplicis generis. Ergo p. Prob. min. Totuplicis Idea est generis, quotuplicis generis sunt modi quibus ipsa nobis multa exhibere et exhibere eisque convenire potest. Atqui modi illi quintuplicis generis esse dignoscuntur, quibus ea omnia nobis exhibere eisque convenire potest. Ergo p. Prob. min. Quicquid concipitur exhibere multa usque convenire valea exhibet usque convenit essentialiter vel accidentaliter: si essentialiter, vel tanquam pars essentialis communior, et est genus, vel tanquam tota essentialis communis, et est Species; vel tanquam pars essentialis specialior et strictior seu attributum essentialis primarium, et est Differentia; vel tanquam attributum essentialis secundarium dumtaxat, et est Proprium; si accidentaliter, et ita, ut adesse vel abesse possit sine Subiecti, cuius attributum est, et cui inhaeret, corruptione seu destructione, tunc dicitur Accidens seu Modus. Ergo p.

Solvuntur Objectiones.

43. Ob. 1^o. Accidens seu Modus revocatur ad Genus et Speciem. Ergo non sunt quinque attributa universalis, sed tantum quatuor. Prob. ant. Quod attribuitur seu prædicatur ut Genus et Species, illud revocatur ad Genus et Speciem. Atqui Accidens attribuitur seu prædicatur ut Genus et Species. Ergo p. Prob. min. Color v.g. est Accidens. Atqui Color prædicatur de albedine et nigredine ut Genus et Species. Ergo p.

Resp. neg. ant. ad ejus prob. Dist. min. Atqui Accidens prædicatur ut Genus et Species de suis propriis inferioribus, ut Color de albedine et nigredine. concl. de suis Subjectis, ut Color de pariete colorato, neg. min. et cons. nam de illis prædicatur contingenter dumtaxat.

Inst. 1^o. Atqui Subjecta Accidentis sunt ipsius inferiora, nam Accidens de illis prædicatur tanquam Superior. Ergo Accidens est Genus et Species respectu Subjectorum suorum.

Resp. Dist. ant. Subjecta Accidentis sunt ejus inferiora improprie dicta, concl. proprie dicta, neg. ant. Nam inferiora Accidentis proprie dicta sunt ea, de quibus Accidens v.g. Color prædicatur in recto, seu nominativo casu: at de Subjectis non prædicatur in recto, p.

Inst. 2^o. Atqui Accidens est Genus vel Species respectu inferiorum, quæ sunt Subjecta sua. Prob. Dist. ant. Accidens est Genus vel

Species respectu illorum inferiorum, de quibus predicatur essentialiter. Atqui accidens predicatur essentialiter de his Subjectis. Ergo p. Prob. min. Color est accidens. Atqui color essentialiter predicatur de Subjectis his. Ergo accidens predicatur essentialiter de his Subjectis. Prob. ant. Subjecta coloris sunt colorata. Atqui Color predicatur essentialiter de coloratis; quia colorata non possunt concipi sine colore. Ergo p.

Resp. Dist. min. ult. arg. Atqui Color predicatur essentialiter de coloratis formaliter sumentis, et quatenus coloratis, conc. De coloratis materialiter sumentis, quae, et non quatenus colorata sunt, conc. min. et neg. cons.

Inst. 3^o. Licet Animalitas v.g. non predicetur de homine nisi formaliter sumentis, quatenus scilicet animal est, tamen hoc sufficit, ut Animalitas predicetur essentialiter. Ergo a pari licet Color non predicetur de coloratis nisi formaliter sumentis, et quatenus nempe sunt colorata, tamen hoc sufficit, ut predicetur essentialiter.

Resp. neg. cons. et parit. Disparitas est, quia Animalitas est quid primum in homine, adeoque est ei essentialis: at vero Color non est quid primum in his Subjectis, v.g. in pariete; nam eo sublato adhuc paries esset in sua integritate.

Inst. 4^o. Atqui pariter Color est quid primum in colorato. Ergo.

Resp. Dist. ant. Color est quid primum in colorato formaliter sumentis, et ut est coloratum, conc. In colorato materialiter sumentis, neg. ant. et cons. Nam coloratum formaliter sumentum et ut coloratum est ens per accidens. Vid. resp. ad seq. ob.

Ob. 2^o. Saltem Differentia et Proprium referuntur ad genus et 44.

Speciem. Ergo sic tria tantum erunt Universalia. Prob. ant. Differentia corporis v.g. Vivens convenit Animalibus et Plantis: proprium hominis v.g. facultas sermonandi convenit seu predicatur de Petro, Paulo, et ceteris omnibus et singulis hominibus. Ergo p.

Resp. Dist. ant. Differentia et Proprium revocantur ad genus et speciem, si comparantur cum suis propriis inferioribus et abstracto substantivoque nomine efferantur, conc. Si comparantur cum suis Subjectis et concreto atque adjectivo nomine exprimantur, neg. ant. et cons. Haec duo universalia attributa, quemadmodum et accidens, non comparantur cum his inferioribus, sed praesens considerantur secundum diversum modum, quo inferioribus generis et speciei conveniunt tanquam quid superius et universale. Sic Differentia hominis v.g. rationalis prout constituit tertium universale non comparatur cum pluribus rationalibus, quae exhibere potest, hoc quippe modo est species, ut patet; sed comparatur cum inferioribus speciei seu hominibus, quibus convenit in quale quid, prout loquuntur, seu tanquam pars essentiae comparatio specialior. Idem dicitur de proprio, illud quippe non comparatur cum suis inferioribus, sed cum Subjecto, cui inest. Idem etiam sentiendum venit de accidente, prout ex antea dictis patet; nam color v.g. non comparatur cum albedine et ni-

ordine, sed cum subiecto colorato. Hinc tria haec posteriora universalia non substantiva sed adjectiva, sed non abstracto sed concreto nomine et relatâ ad subiecta, quibus conveniunt, exprimentur: Sic dicitur Homo est rationalis, petrus est habens sermonandi facultatem, baries est albus, p. et ratio est, quae haec universalia non sunt attributa, quae pluribus conveniant ad questionem factam, quale sit quid essentialiter, ut Differentia, vel quale sit quid necessario seu essentialiter secundario, ut Proprium, vel quale sit quid contingenter, ut Accidens.

45. Ob. 3.^o Plura sunt, quam quinque universalia, si Differentia generica et Specifica, duo constituunt universalia. Atqui ita res se habet. Ergo p. Prob. min. Tam Differentia generica et Specifica duo constituunt universalia, quam Genus et Species. Ergo p.

Resp. neg. min. Ad eju^s prob. neg. ant. et part. Disparitas est, quia Genus et Species pluribus conveniunt diverso modo, illud tanquam pars essentia communior, haec tanquam tota essentia: at Differentia tam generica quam Specifica semper eodem modo tanquam pars essentia specialior plura exhibet.

Inst. Ideo Genus et Species sunt duo universalia, quia illud multis Species, haec multis individuis conveniunt. Ergo à pari Differentia generica et Specifica constituunt duo universalia; quia illa multas Species, haec multa individua exhibet.

Resp. neg. ant. Nam ideo solum Genus et Species sunt universalia, quia Genus, ut iam dictum, tanquam pars essentia communior, Species vero tanquam tota essentia multis convenire intelliguntur.

Exercitatio Sexta.

Ad cap. i. quarta partis Logica
De Methodo Analytica n. 206.

An Scientia, Fides, et Opinio simul possint consistere
in eadem mente de eadem re.

46. Conclusio. Scientia, Fides, et Opinio non possunt simul consistere in eadem mente de eadem re.

Prob. cognitio certa et evidens simul consistere non potest in eadem mente cum cognitione obscura et incerta. Atqui Scientia est cognitio certa et evidens, Fides cognitio certa quidem sed obscura, Opinio autem cognitio incerta. Ergo Scientia, Fides, et Opinio non possunt simul stare in eadem mente de eadem re. Prob. Inaj. Cognitio evidens omnino à se removet tam obscuritatem quam non amolitur fides, tum dubitandi rationem seu incertitudinem, quod et ipsa fides partat, quam relinquit Opinio. Ergo simul stare non possunt p. proinde etiam quis argumenta seu motiva vel media Scientia, fidei, et Opinioni simul animo retinere possit, tamen solum Scientia argumentis affici debet, fidesque et Opinio ipsi fiunt omnino inutiles.

Solvuntur Objectiones.

Ob. 1^o Ea possunt simul esse, quae sibi invicem non opponuntur. Atque Scientia, Fides, et Opinio sibi invicem non opponuntur. Ergo p.

Resp. Dist. min. Scientia, Fides, et Opinio sibi invicem non opponuntur quantum ad media, quibus utuntur, vel quantum ad rem, quam probant, con. quantum ad effectum, quem produciunt, neg. univ. et cons. Quamvis Scientia, Fides, et Opinio non sint opposita quantum ad media, quibus utuntur, et quantum ad rem, quam probant, utpote quae rem eandem, v. g. Dei existentiam diversis quidem, non tamen oppositis argumentis affirmant; opposita tamen sunt ratione effectus, quem in mente produciunt; nam Scientia evidentiam et certitudinem, Fides obscuritatem, Opinio autem incertitudinem et fluctuationem inducunt; evidentia autem et obscuritas, certitudo et incertitudo sibi invicem opponuntur.

Inst. 1^o Mens potest simul habere rei aliusque evidentiam certitudinem, et obscuram certitudinem, necnon incertitudinem sine ulla oppositione. Ergo p. Prob. ant. ut mens eas habere possit, sufficit, ut mediis seu motivis utatur, quae uniusque earum conveniunt. Atque id potest. Ergo p.

Resp. neg. ant. Adejus prob. neg. maj. Licet enim mens uti possit talibus mediis seu motivis, non tamen iis omnibus simul affici potest, sed illis solum, quae sunt evidentia.

Inst. 2^o Motiva Scientiae, Fidei, et Opinionis sunt compossibilia in eadem mente. Ergo et eorum effectus, sicut ipsa Scientia, Fides, et Opinio.

Resp. Dist. ant. Sunt compossibilia, ut à mente percipiantur, con. ut mens ipsis assentiatur, aut iis afficiatur, neg. ant. et cons. quia, ut iam diximus, mens presente motivo certo et evidenti, et solum movetur et non aliis.

Inst. 3^o Motiva Scientiae, Fidei, et Opinionis non magis opponuntur, quam lumina majus, minus, et minimum. Atque haec privatim non opponuntur. Ergo p.

Resp. neg. maj. Nam lumina minus et minimum non negant lumen majus; at obscuritas et opinio negant evidentiam, p.

Ob. 2^o Mens humana habet Scientiam de existentia Dei, et simul etiam habet fidem de eadem Dei existentia. Ergo Scientia et Fides de eadem re possunt simul stare in eadem mente.

Resp. Dist. ant. Mens humana p. et simul etiam habet fidem de eadem Dei existentia improprie dictam et velut ex eius Scientia resultantem, con. fidem proprie dictam, et quae omnem Scientiam excludat, neg. ant. et cons. Existentia Dei ad fidem proprie non pertinet; cum cognitio existentiae Dei fidem divinam antecedit: quippe revelatis credimus propter Dei jam cogniti auctoritatem. Mens igitur humana existentiam Dei hoc sensu duntaxat credere dicitur, quod scilicet ita sit affecta, ut existentiam Dei credere parata esset, si Scientia abesset.

Inst. Apostolus Heb. ii. v. 6. Credere, inquit, oportet auctentem ad Deum, quia est. Et Ecclesia in Symbolo canit, Credo in Deum. Atqui haec non possunt intelligi nisi de fide proprie dicta. Ergo p.

Resp. neg. min. Possunt enim et debent intelligi de fide improprie dicta et scientiam existentiam Dei iam supponente. Praeterea Apostolo hic non videtur esse sermo de Dei existentia praecise, utpote cuius scientiam omnes habere declarat Rom. i. v. 19. Sed de illius attributis dumtaxat; unde statim subdit, Et inquit, ventibus se remunerator sit, p. Vid. Comment. P. Germani Cartier in hac loco. Similiter Ecclesia in Symbolo fidem attributorum divinarum potius commendat, quam existentiam Dei. Sed haec Theologos spectant.

49. *Ob. 3^o* Opinio non efficit mentem actu fluctuantem. Ergo effectus opinionis non opponitur effectui scientiae. *Prob. aut.* Formido actualis non est de essentia opinionis. Ergo p.

Resp. neg. utrumque aut. Nam objectum, cui mens ut motum probabilis appetitur, vel ut fallibile ei apparet, vel non? Si secundum, tunc actus, quo huic objecto mens appetitur, non est opinativus, sed certa et evidens cognitio ex parte mentis cognoscentis, et sic cessat quaestio: si vero menti appareat ut fallibile, potest ei apparere debet; tunc impossibile est, ut mens actu non formidet, aut non cum quadam hesitatione objecto adhaereat.

Inst. Potest quis elicere actum ex motivis probabilibus tantum, qua putet esse certa. Atqui talis actus est sine formidine actuali, et tamen opinativus. Ergo p.

Resp. Dist. min. Talis actus erit opinativus ex natura motivorum, *con.* respectu elicientis, qui putat ea motiva esse certa et evidenter, *neg. min. et cons.*

50. *Ob. 4^o* Tam potest quis sive simul et opinari de eadem re per diversa motiva, quam possit amare simul et odire idem objectum per diversa motiva, v. g. amare hominem, quia est consanguineus, et odire eundem, quia est improbus. Ergo p.

Resp. neg. aut. et parit. Ratio disparitatis est, quia, qui amat hominem, eo quod consanguineus sit, et eundem odire habet, eo quod improbus sit, proprie non amat et odire habet idem objectum sed diversa, nempe consanguinitatem et improbitatem.

Inst. 1^o Valet instituta paritas, si scientia et opinio de eadem re per diversa motiva non opponantur inter se, sicut nec amor et odium per diversa motiva. Atqui scientia et opinio nullo genere oppositionis sibi invicem opponuntur, non contrarie, nec contradictorie, p. Ergo p.

Resp. neg. min. Nam scientia et opinio de eadem opponuntur contrarie ratione sui, quatenus scilicet una est cognitio certa, altera autem incerta: contradictorie vero opponuntur ratione effectus, quem parerent in mente, quatenus eam praestarent certam simul et non certam de eadem re.

Inst. 2^o Contraria dicuntur ea, quae magis secum invicem pugnant, quam cum aliis. Atqui scientia et opinio de eadem re minus pugnant

seum invicem, quam cum aliis; quia Scientia et Error de eadem re magis pugnant seum invicem, quam Scientia et Opinio. Ergo p.

Resp. Dist. min. Atque Scientia et Opinio minus pugnant inter se quoad veritatem et falsitatem, quam Scientia et Error, cons. Minus pugnant quoad certitudinem et incertitudinem, neg. min. et cons. Nempe Scientia et Error plurimum inter se pugnant quoad veritatem et falsitatem: Scientia autem et Opinio plurimum quoad certitudinem et incertitudinem.

Inst. 3^o. Dua cognitiones, quae eandem veritatem affirmant vel eandem falsitatem negant, non plurimum pugnant inter se. Atque Scientia et Opinio supponuntur hic idem affirmare, vel idem negare. Ergo p.

Resp. Dist. maj. Si idem affirmant sine speciali oppositione, cons. Sicut neg. maj. et sic Dist. min. neg. cons. Scientia et Opinio specialem habent oppositionem, quatenus una dicit rem esse absque formidine erroris, altera dicit cum formidine.

Inst. 4^o. Idem aperitur Scientiam et Opinionem habere specialem inter se oppositionem; quia, sicut Scientia parit in mente certitudinem, ita dicitur Opinio parere incertitudinem seu formidinem. Atque falsum est, quod Opinio pariat incertitudinem. Ergo p. Prob. min. Si Opinio pareret incertitudinem, quod plures quis haberet de eadem re opiniones, ob plura opinandi motiva, eo magis magisque dubitaret de illa. Atque hoc est contra experientiam. Ergo p.

Resp. neg. min. ad ejus prob. neg. seq. maj. Nam Opinio non solum parit incertitudinem, sed et aliqualem notitiam rei, de qua mens opinatur; atque dum multiplicantur motiva opinandi de eadem re, crescit magis ac magis notitia rei illius, sicque sensim ac sine sensu minuitur mentis incertitudo, quamvis non omnino tollatur, nisi acceperint motiva certa et evidentia, quae Scientiam efficiant.